



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 8. Num hæc definitio animas omnes comprehendat

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

ita in corporibus nostris propria est forma, qua instrumentum fit animæ; at non vna est forma, sed plures, quia non vnus, sed plurium operationum instrumentum esse debet: ex sunt partiales formæ, quibus membra sunt ad operandum apta, sed sine anima operari nequeunt. Accedit naua ad nauim & anima ad corpus, nauis mouetur, corpus plurimas exequitur operationes. Sed naua solū dat motum, anima tum meliorem essentiam tum operationem. Sed ex definitione proposita habet solum essentia, de operatione nihil inde colligit: deincepsque explicandum erit.

Tandem concludit, figura quadam, hoc est vniuersæ, definitam fuisse, seu descriptam animam. Hæc enim vniuersa & generalis cognitio, est quodammodo confusa, si cum propria illa comparetur singularum animarum & facultatum, quæ post explicabitur. Ideo descriptione appellat, quia etiam essentialis sit, quia tamen generalis, propriam singularum animarum substantiam non exponit, quemadmodum exponeret definitio perfecta, quæ res singulas distinguit & separat, atque, vt ait Simplicius, ex propria singularium substantia peritur. Accedit, quod ea est vis accuratæ definitionis, quemadmodum est in tex. 31. lib. 4. Phys. vt ex ea dubitationes omnes soluantur. At ex definitione hæcenus proposita nondum est manifestum, num ea sit actus corporis sicut naua nauis. Propterea, cum ex generali hac cognitione nondum intelligantur omnia, quæ ad animam pertinent, placuit descriptionem, minusq. perfectam cognitionem dicere. Denique eo etiam ex capite imperfecta videtur, quod nondum sit satis probata atque ex notioribus illustrata. quod deinceps fiet. quare verba hæc continent etiam rationem, cur id, quod dixit, immanifestum sit: quia nimirum figura duntaxat, & non omnino accuratè dictum est quid sit anima.

*Digestio V III.*

Ceterum ab hac definitione, quam Arist. tanta inuestigauit industria, discedendum antea nobis non est, quam grauissimæ difficultates explicentur, quæ vt inuoluntur in ea, sic ad illius vim & naturam intelligendam sunt in primis opportunæ ac necessariæ. Primum, num ita hæc definitio animas omnes comprehendat, vt is omnes se vniuersæ definiuit gloriatus est. Deinde, an anima ita sit corporis actus, vt per omnes illius partes sit fusa. Tum verò, an vt est actus corporis quanti & extensi, sic ipsa quoque extendatur cum illo, & euadat partibus, an potius impartibilis perseuerans, tota sit in toto corpore, & tota item in quavis vel minima illius parte. Post, num vna anima pluriū corporum actus esse queat: & contra plures animæ vnus eiuſdemq. corporis. Ad extremum, cum anima sit actus corporis organici, quod pluribus diuersa, discrepantisque nature partibus constat, num præter animam, quæ vniuersum perficit corpus insint in singulis partibus propriæ singularum formæ, ex quibus totum illud corpus dignum animæ subiectum coagmentetur. Primam igitur aggrediamur, quæ ad reliquarum explicationem aperiet viam.

*I. Digestionis pars. Num hæc definitio animas omnes comprehendat.*

Triples in sublunaribus animæ genus antea de-

monstratum est, vegetas, sentiens, intelligens. Vegetans plantarum proprium, sentiens mutorum, intelligens hominis. De duobus prioribus certum est omnium calculo, de tertio nonnulli dubitant. Sed & de cælestibus corporibus dubitari potest, hæc quoque in 1. libro dictum est Platoni & Aristoteli animata fuisse.

Quod si ita sit, quæcunque sit illius animæ, cum Aristoteles cõmunissimam & maximè generalem definitionem se tradidisse profiteatur: consequens profecto fuerit, eam quoque hac definitione fuisse comprehensam. Alio qui rectè argumētabitur Proclus cora. 5. in Timæum, minus probandam esse, quæ animam omnem non comprehendat: præteritum cùm cælestes animæ organici corporis actus non sint.

Sed non ita pridem Alexander Achillinus in 2. lib. de Orbibus, & Hieronymus Balduinus inquit. An intelligentia det esse celo, & Petrus Pomponatius in lib. de Animæ immortalitate, & Antonius Bernardus Mirandulanus lib. 11. ca. 21. de Euerſione singularis certaminis, alii, nonnulli, cùm non aliam ponerēt animam præter motricem intelligentiam, hæc ipsam voluerunt esse formantem formam, & tanquam veram illorum corporum animam generali hac definitione comprehensam. Est enim actus organici corporis, quæpe cælum illius est organum, quo in hæc omnia inferiora agit. Itaque, vt hoc loco simul cum reliquorum viuentium animabus definitam esse cælesti animam voluerunt, ita cælum quoque contentorunt in libris de Animalibus oportere tractari, si reliquorum animalium corpora considerantur.

Cælestia corpora animata non esse, in 1. libro demonstratum est. An verò motrices intelligentes formantes illorum formæ sint non est nunc opus pluribus disputare æquo rerum estimatori factis esse possunt ea, quæ eodem in loco fuere proposita. Hoc vnum addam, quod & in text. 7. huius libri, & text. 15. 8. Metaph. traditum est, ex duobus in actu non fit vnum per se, cælum autem est actus, vt Auer. Achillinus & aduersariorum porrimiserunt, & intelligentia est actus, & est omnino perfectum, specieiueque integra, quæ altius forma & pars esse non potest: Necessè igitur est illam ab animæ definitione excludere. Non enim est entelechia prima. Tum quia entelechia significare substantiam imperfectam & dimittam, quæ cum corpore faciat vnum per se, manifestum est ex tex. 2. & 7. Tum quia ex tex. 8. omnia anima est actus essentialis & quod quid est actus corporis: Intelligentia est substantia integra, & perfecta, quæ cetera quidem potest ac vertere cælestes orbis, at essentialis & formæ actus, aut omnino perfectio in actu primo esse non potest. Corpus item cæleste est quidem naturale, quod intelligentia organum operatur, quatenus per illud in hæc inferiora operatur: at organicum non est. Sole namque densitate, & raritate, luce, perspicuitate & opacitate, differunt eius partes: non temperature, & natura, quemadmodum organici & heterogeni corporis partes differre oportet, quæ alias atque alias habent substantiæ formæ, & potest diuersum in corpore vsum. Satis fuerit cælo perfectionem omnem concedere, quæ corpori conuenit: nempe esse incorruptibile, in alterabile, immutabile. His enim cætera omnia corpora superat. Adde etiam actione. Tum quod in

reliqua omnia agit, neque ab illis patitur. Tum quod est generale agens, dum cetera particularia sunt & determinata. Si tamen perfectio ex entium gradibus pendatur, qui quatuor numerantur, esse, vivere, sentire, intelligere: sanè perfectissimū omnium non est cælum, immò imperfectissimum, & ad primum gradum pertinet.

Omonymè autem & per quandam analogiam animatum ab Aristotele dicitur: quòd perinde ab assistente intelligentia moueatur, ac animalia à formate anima. Nec mouetur modò, sed & ita vniatur illi ad mouendum intelligentia, vt organico corpori anima naturaliter inquam necessariò, partes omnes perueniendo, ac demum inseparabiliter. Vt non immeritò illius anima vociterur; & assistens forma, quia propter operationem vnitur, & natura, quia naturaliter mouet; intrinsicus motor, quoniam intimè vnitur ratione virtutis agentis & patientis, estque in eodem loco & situ, in quo est cælum. Vnde totum illud coniunctum ex cælo & Intelligentia dicitur animatum, differentias habere situs, atque à seipso moueri. Est tamen tenuis & perexigua analogia, vt propterea simul tractari debeant. Vel si analogia in eadem scientia omnino explicare oporteat, & intelligentia quatenus motrices cælorum animæ sunt, ad physicum spectent; de hac animæ forma in 8. Physicorum lib. actum est. Neque enim dum analogia tractantur, necesse est de eorum ratione vniuersè differere: sicut est, si in diuersis scientiæ partibus de singulis dicatur. Ita cum in 8. Physic. lib. de assistentibus illis animabus actum esset; de reliquis nunc, quæ formantes sunt, ac magis propriè animæ appellatur, agendum fuit. Hoc nimirum intellectu querèdam proposuit cõmunissimam omni animæ definitionem. Propterea in t. 3. corp<sup>o</sup> naturale diuidit in id, quod viuit, & id quod vitam non habet, vitamque definit mutationem, accretionem & decretionem, quæ sanè cælo non infunt. Et in text. 15. de mortalium solum corporum animabus agere, se significat. quod interpretes eo loco confirmant, & Alexander in priori lib. de an. cap. 8. est enim cælum corpus simplex, nullumq. simplex corpus animatū esse posse, demonstrat idè ipse Philosophus in 3. libro. & in text. 66. lib. 3. Simplicius, ob id, inquit, cælestia hoc loco mittèda, quod vel sensus non habeant, vel si habuerint, non est de illis sermo in præsentì opere, vbi de animalis mortalis vita agitur. Ac demum Themistius cap. 73. diuina & cælestia hoc loco præfata laude mittimus.

Missa igitur cælesti anima, Auerroës Aristotelem inquit voluisse corruptibilem solum, & mortalem animam definire: Vegetantem inquam & sentientem; non item intelligentem, nisi per quèdam analogiam. Tum quòd ea non sit actus formans, sed assistens (sic enim illi sensit) Tum quòd illa incorruptibilis sit & immortalis. Quare in text. 2. sola substantia actu corruptibili & mortali constans diuisa est; quippe corruptibile & incorruptibile differunt genere, vt est in text. 26. lib. 10. Metaph. animamque intelligentem esse aliud genus animæ, & differre à cæteris, sicut incorruptibile à corruptibili; non multò post docetur in text. 21. Accedit, quòd anima definita est esse actus corporis; & intelligès in text. 11. dicta est nullius corporis esse actus. Immo eodem in loco ea definitione deducit Aristoteles, non posse animam à corpore separari, quia est illius actus: & intelligens separatur.

A Denique apertis verbis loquetur in text. 21. de intellectu nihil adhuc manifestum esse, & in text. 32. de eo longè alium esse sermonem. Alexander tamen & intellectū alio modo interpretatus, & animam quoque nostram mortalem ratus, eam item definitam fuisse credit.

Mihi verò non est hoc loco propositum Alexander demonstrare, animam nostram immortalem esse: aut Auerroei esse actum formantem. Sed vtroque supposito, quemadmodum opportuniore loco demonstrabitur, eam quoq. ostendam fuisse ab Aristotele definitam. quod propterea contendo, quòd eum videam aperte prædicantem, communissimam eam esse definitionem omni animæ, quæ in corporibus animatis insit. Hocque eam potissimum ob causam, quam in text. 1. significat, ne in errorem incidat antiquorum, quos idè reprehenderat in text. 7. lib. 1. quòd non de omnianima, sed de sola humana differuissent. Deinde quia nisi eam quoque definiuisset, non erat, cur in text. 11. dubitaret, num aliqua anima sit à corpore separabilis, quemadmodum à nauì nauta. Quo loco certum est, non nisi de iis animabus, quas definiat, dubitari: neque de vegetante, & sentiente, quas inseparabiles esse constat. In text. etiam 13. ea diuiditur anima, quæ fuerat definita, vt anima omnis ostendatur esse principium vitæ: & eodem modo in text. 24. vt demonstraretur omnem animam esse actum corporis: in vtraque autem diuisione intelligens anima commemoratur. Tum verò de ea tractatur in libro 3. quæque initio huius 2. de anima vniuersè docentur; sunt veluti generalia fundamenta, quæ specialem singularum animarum in toto reliquo opere tractationem antecedunt. Denique nihil est in tota definitione, quod illi quoque non optimè ac propriissimè conueniat.

Quapropter dum in text. 2. substantiæ genus partitur, solum quidem corruptibilem substantiam partitur, quòd eam solum crederet ad illud genus pertinere: non eam tamen ex solo actu corruptibili constantem. Nisi aut id plerumque ita esse intelligatur, vt ipsemet in text. 1. lib. 6. Metaph. interpretatus est. Aut ad actum secundum formationis, non ad substantiam referatur. Sic enim anima quoque intelligens corruptibilis actus esse dicitur, homòque substantia mortalis. Aut verò etiam postremò id accipiat esse verum de generali actus ratione, alio quocunque præciso. Omnis namque forma, quatenus actus, corruptibilis est: nisi aliunde incorruptibilitatem accipiat. Etenim est actus materia, quæ priuationem habet adiunctam corruptionis principium.

At intelligens anima præter hoc, vt sit corporis actus, propriam suam & peculiare habet naturam, immaterialem, & subsistentem; cuius beneficio incorruptibilis est. Hoc nimirum intellectu in text. 17. deducebatur, animam esse à corpore inseparabilem, quoniã corporis est actus. Ratione inquam actus & formationis: & nisi aliud haberet, quàm esse actum & formam; omnino non posset separari. At quoniam vidit summus Philosophus, eam actum quidem esse, sed immaterialem, & subsistentem, propterea statim subiunxit, generalem illam actus conditionem minimè prohibere, quominus aliqua anima separaretur, quòd nullius corporis sit actus, corporeus scilicet inherens, atque à corpore pendens. Ex quo duo planè intelliguntur.

Quæstio de omni forma corruptibilis.

Animæ nostra vsq. separabilis.

Cælum quomodo animatur.

Animæ natura.

Alterum, inseparabilitatem illam, quam Ar. ex ea definitione collegit, negatiuam esse: hoc est ex eo, quod sit actus corporis, non habere animam, ut à corpore separari queat: non autem positiuam, ut profus separari possit. Nam si id ex generali anime conditione colligeretur, non statim adderetur, posse aliquam ex sua propria & speciali natura separari, quoniam id, quod positiuè & essentialiter conuenit generi vniuerso, per propriam speciei conditionem non tollitur: tantum abest, ut illius oppositum alicui speciei conueniat.

Alterum est, forma duobus modis appellari actum materię, seu animam corporis: aut formando perficiendo, & dādo esse: aut inherēdo quoq; & pendēdo à materia, seu corpore. Atq; in ea definitione animam omnem dictā fuisse actum corporis priori modo, qui ad vniuersam & generalem formā & actus rationem pertinet: posteriorē autem non esse de ratione animę in genere, quemadmodum nec formę & actus vniuersi, sed ex propria quardam formarum, atque animarum conditione oriri, quatenus ex materia potestate educę sunt. Idcirco enim in ea quoque sustentantur, neque sine illa coherere possunt. Atque hanc demum ob causam de ratione animę vniuersę, vt est anima, illud solum esse, vt sit actus corporis formę. Inherere autem & sustentari in corpore, aut per se subsistere, neque ab eo pendere; omnino deriuari ex propria & speciali singularum animarum conditione, quę aut ex materia educę sunt, aut singulari Dei munere forinsecus adueniunt.

Quę porro in tex. 21. & 32. leguntur, maiorem multo habēt difficultatem, quā prima specie præ se ferant; vt post eorū interpretatione manifestum erit. Interim satis fuerit dicere, in tex. 32. intellectū contemplatiuum appellari intellectum intelligentiarum separatarū, de quo alius sermo est, quoniam ad Metaphysicum spectat. Aut si de intellectu nostro intelligi debeat; quomodo id sit, eo loco docebitur. In tex. autem 21. affirmasse quidem Philosophum, de anima intelligente nihil adhuc manifestum esse: Id tamen non vniuersè & generaliter accipiendum esse: sed quatenus ad quæstionē pauld ante propositam in tex. 19. pertinebat, num animę partes loco & situ in corpore distinctę, an ratione solum sint. Ad hanc enim respondit, in videntibus quibusdam rem satis esse apertam, vt in plantis & insectis animalibus: de intellectu autem nihil adhuc manifestum esse, an inquam sit ab alijs distinctus, atque in distincta corporis parte. Hoc enim in tertio libro explicabitur, vbi dicitur, eum esse inorganicum & incorporeum. Nūc verò hoc solum constat, eum altioris cuiusdam ordinis esse supra cęteras animas, quoniam est incorruptibilis.

Quo circa cum hæc anima alterius esse generis affirmatur, non propterea id dicitur, quod sub definitione proposita non comprehendatur: sed id ad specialem & propriam eius differentiam pertinet, quatenus immaterialis est & intelligēs: non ad generalem illam, quatenus anima est & actus corporis. Quęadmodum enim generali hac ratione cum cęteris conuenit animabus, communique definitione explicata est; ita speciali illa & ipsius propria genus aliud est animę, quod solum separari potest, vt perpetuum à corruptibili: quoniam inde habet, vt incorruptibilis sit & perpetua. Hoc modo de intellectu, vt intellectus est & theoretica facultas, nihil adhuc manifestum est: Quatenus au-

tem anima est, non solum est manifestum esse formam; & organici corporis actum: sed etiam esse principium vitę, vt in tex. 12. iam dixerat.

Est autem anima intelligens organici corporis actus, non solum vt vegetatē, & lententem vitę nature continet; verum etiam quia quatenus intelligens est & dat esse corpori, requirit in eo organa, & dispositiones complures: & quo ad cęterarum animarum operationes, ita illas tēperat, vt certum quandam illis modum adferat, quare vt ex operationes sunt organica: ita hæc quoque anima, dum illi modum ponit, opus habet organis. In ea vero diuiniſſima operatione, que illius est propria, phantasmate pendet vt obiecto; estque phantasia facultas organica. Sanè tanta est diuersitas conformationis partium, saltem plurimarum, in homine, tantoque perfectior, quā in cęteris animalibus, temperatura; vt negari non possit, eam totam ad intelligentem animam pertinere. Et quid causa sit, cur in embriōne postquam vegetas anima producta est, nequaqua à tāto labore conformandi illius corpulculi natura quiescat; quin maiori potius industria partes omnes distinguat, perficiat organa, qualitates temperet. Nisi quia perfectior expectatur anima sentiens; quę vt est actus organici corporis, sic accuratam magis in illo efformandū requirit operam. At vbi hæc quoque, accesserit formandum finis industria: quin multo maiori arte in illo ipso perficiendo opere natura vitur, vt ad supernam intelligentem formam tandem perueniat. Quid ita? nisi hæc quoque anima secundum suam propriam & specialem naturam organici corporis esset actus, maiori industria opus non erat: sed fortim cum sentiente anima intelligens quoque accederet: neque diuersa esset hominis & bestiarum conformatio membrorum & qualitarum temperatio.

Ceterum quoniam Interpretes Gręci, Themiſtius, Simplicius, & Philoponus, atque adeo Aristoteles, qui nobis in hac quæstione maximè aduertari videbatur, eam definitionem fatentur intelligens quoque animę communem esse: atque hoc solum à nobis contendunt, vt non synonymè, sed omnynymè duntaxat: hoc est analogicè, seu per prius & posterius cōmunem esse concedamus: hoc vniuersam constituendum superest.

A me verò id nunquam illi extorquebunt: propterea quod falso Auerroem præsertim video principio niti. Hanc enim fortasse ob causam id ille confirmauit, quoniam intelligentem animam putant assistentem esse actum, non formam. Ego & eam quoque aio esse formam quod Gręcos quosdam prætes sensisse arbitror, & synonymè eū cęteris definitant. Intelligentem animam esse actum nostrorum corporum formantem, non est hoc loco pluribus demonstrandum: sed solum ostēdendum, eam animę definitione proposita manifestè debeat. Sanè in tex. 2. substantiam diuidens Philosophus in materiam, formam, & compositum, vt ex eadē uisione definitionem colligeret: & in tex. 4. animam omnem asserēs esse formam, de sola formate forma loquutus est. Tum quia eam voluit esse actum materię potestati oppositū, qui simul eam ca faciat hoc aliquid, perfectamque substantiam. Tum quia eandem diuisionem habet in tex. 7. & 34. lib. 7. Metaph. & in tex. 3. 6. & 17. lib. 8. & in tex. 14. lib. 12. quibus in locis certum est de formate forma esse sermōnem. Tum etiam quia materia

anima  
duobus  
modis  
actus  
corporis.

Exponitur  
text.  
21. & 32.

Quomodo  
anima  
intelligens  
alterius  
generis.

cum qua assistens forma coniungitur, semper est hoc aliquid; ut perspicui potest in nauta & nauis; in Caelo & intelligentia, & aliis omnibus; Materiam verò, quæ illius diuisionis membrum est, non est hoc aliquid; sed sola potestas, & ut est in tex. 69. lib. 1. phys. substantia informis: eamque formam, quæ subiectum substantia imperfectum perfectura est; necesse est esse formantem. In textu etiam 4. animam legimus illius corporis esse actum; quod non est actus existens in subiecto: neque hoc potest esse, nisi materia, quæ substantia est imperfecta: nam compositum includit actum formantem materiam illi subiectam. Neque igitur forma potest alia intelligi, quam formans: siquidem ea, quæ assistit, vni- tur toti composito; neque facit hoc aliquid, sed supponit. Præterea in tex. 7. post communis- simam omni animæ definitionem non esse ampli- us querendum dixit, cur ex anima & corpo- re fiat vnum; quoniam actus proprium est si- mul cum potestate facere vnum. Quod de for- mante forma verum est: de assistente non item, quæ enti in actu aduenit, solamque operatio- nem præbet. Quocirca & exemplum posuit for- mantis formæ; figuræ scilicet & cæcæ. & in tex- tu 17. lib. 8. metaph. dum de sola formante for- ma loqueretur, dubitationem eandem totidem penè verbis exposuit. Rursum in textu 8. ex ge- nerali ea definitione animam omnem deduxit for- mam esse substantiæ, & quidquid est esse ani- mati corporis. Quæ verba certum est forman- tem formam vbiq; Aristoteli significare: & con- firmant exempla securis & oculi, quæ in eodem textu, & duobus sequentibus proponuntur. Et verò in vniuersa illa definitione animam prodi- dit esse entelechiam, hoc est perfectionem pri- mam corporis potestate vitam habentis; primam- que perfectionem interpretatus est substantialem & essentialem. Assistens anima nequaquam est perfectio prima substantialis & essentialis illius corporis, cui assistit; sed accidentaria prorsus & extrinseca, quæ solam operationem largitur. Im- mo si anima intelligens forma esset homini as- sistens, nullam illi adduceret perfectionem: si- quidem intellectio est operatio, quæ in ea sola rema- net. Quin aliquid potius à corpore acciperet, ob- iectum scilicet intelligendum. Voluit etiam Ari- stoteles animam omnem esse veluti somnum, hoc est formam absolutè in subiecto consideratam abstrahendo ab omni operatione: assistens forma neque est perfectio corporis, neque cum eo con- iungitur, nisi ad operandum; neque sine ope- ratione intelligitur. Denique si intelligens anima assistens esset, atque hoc modo generali hac de- finitione comprehenderetur; non considerasset eam nec definiuisset Philosophus secundum suam substantiam, sed quatenus est principium vtēs or- gano ad operandum: quemadmodum quando in- telligentias reliquas considerauit quatenus cœle- stes vertunt globos. At illius quoque animæ sub- stantia veluti pars hominis, qui ens quoddam est na- turale, à naturali Philosopho cognosci ac definiiri debet.

Extant apud Arist. alia complura loca, ex qui- bus planè intelligas eam, quam dixi, fuisse illius de anima intelligente sententiam. Sed hoc loco vbi sola animæ definitio examinatur, ea proferre super-

A sedeo: atque ex eo, quod illam quoque ostensum est formantem esse actum, omnino conficio, synony- me cum cæteris definitam fuisse. Nam cum in for- mationis vi omnes planè conueniant animæ; hoc solum discrepat, quod ea, quæ intelligit, per se sub- sistit, immaterialis est, forinsecus aduenit, & ideo à corpore separari potest: reliqua, vt ex materia po- testate eruitur, sic sustentantur in ea, nec vnquam se- parari possunt. Verùm hæc omnia ad vniuersam, & generalem animæ notionem non pertinent; sed ad specialem & propriam singulari. Generalis illa, quæ Aristotelis definitione continetur, solum significat formantem organici corporis actum: atque ex pro- pria actuum cōditione & natura diuersitas illa tota proficiscitur; quæ generis vniuersi synonymiam nō tollit. Quippe & in quolibet genere ex propria sin- gularum specierum conditione omonymiam plu- rimam latitare admonemur in tex. 31. lib. 7. phys. & vniuersum animalis genus non propterea nega- mus de homine ac mutis synonymè dici, quòd illè ratiocinatione utatur, hæc solo sensu viuant; ille formam habeat immaterialem & immortalem, hæc materialem & mortalem. Huc illud spectat quod est in tex. 7. siquid, inquit, commune omni animæ oportet dicere. Non solet. n. commune dicere, nisi vbi est synonymia, quod ostēdet tex. 4. libri 3. phys. vbi cū motū dixisset esse in quatuor generibus, ad- iungit; commune vero his nihil est accipere: cum tamen commune omnibus sit ens: sed quia non est synonymum, non vult appellari commune.

Maiorem cuiusdam difficultatem adferent ver- ba illa lib. 10. metaph. corruptibile & incorrupti- bile differunt genere. At ea de integris & perfectis entibus, quæ propriè & per se sunt sub genere, de- bent intelligi. Alioqui materia, quæ incorrupti- bilis est, & forma corruptibilis, ad idem substantiæ genus non pertinerent. Deinde quemadmodum materia suapte natura incorruptibilis eatenus cor- ruptibilis esse dicitur, quatenus corruptionis sub- iectum est: sic anima nostra, quæ immortalè habet substantiā quatenus immaterialis est & intelligens, corruptibilis dici potest quatenus forma est & ani- ma, quoniam post aliquod tempus formare desi- nit & animare. Et quoniam quatenus forma est & anima, non quatenus immaterialis & intelligens, sub generali hac definitione animæ continetur; Aristotelis illa verba huic nostræ sententiæ nil oberūt. Sed illud vnum testabantur, quod in textu itē 21. huius libri legimus, animā nostrā, quatenus immaterialis est & intelligēs, aliud esse genus ani- mæ: quæ tamē, quatenus forma est & anima, cū vni- uerso reliquarum animarum genere definita est.

F. Iam verò ex hac tota difficultate explicata faci- lis erit alterius intelligentia. Græci. n. illi, qui defi- nitionē eam per quandam solū analogiam, per- que prius & posterius intelligenti animæ conueni- re voluerunt: quòd specialem potius & propriam huius animæ, quam generalem & communem om- nium rationem considerarent: consentaneè quo- que dixerunt, non fuisse definitionem essentialē, sed descriptionem quandam: propterea quod des- cribuntur analogæ, non definiuntur. Sed cū ostē- sum sit vniuersam animæ rationem esse synony- mam eamque philosophum definiendo spectasse; verius affirmabimus essentialē fuisse definitio- nem. Quod summa illa diligentia testatur, qua is in ea inuestiganda vltus est: & quidem per di-

Quid anima intelligens à cæteris differat.

Animæ intelligens & corruptibilis dicitur.

Hanc defini- tionem essen- tialē esse.



uisiones : quomodo in secundo libro de posteriori analysi querendam esse docuerat propriam cuiusque rei definitionem. Et altera item diligentia confirmat, qua in tex. 24. definitionem illam per notioerem alteram demonstrat. Deinde alicubi oportuit animam à naturali Philosopho secundum propriam ipsius quiditatem definiri : atque hoc planè loco definita fuit per ea, quae sunt illi essentialia ; dum dicta est esse forma, actus, & perfectio corporis, talisque corporis. Non inquam definita fuit per corpus, sed per ordinem ad corpus : qui ordo essentialis est illi, non minùs, quàm cuiuslibet formæ ordo ad materiam ; vt in tex. 26. lib. 2. Phys. significatum est. In eaque definitione nominatum fuit corpus, tanquam terminus illius ordinis. Sic enim vnum relatum in sui correlati definitione, & substantia in definitione accidentis poni consuevit. Cur autem in tex. 11. descriptionem maluerit appellare, dictum est in illorum verborum interpretatione.

Denique ex his potest intelligi, quid ex tota hac definitione de animæ nostræ immortalitate colligatur. Cum enim generalem duntaxat animæ rationem contineat, id solum colligitur, quod collegit Aristoteles in tex. 11. ex generali illa ratione animæ nullam animam separari posse ; hoc est animam, quæ nil aliud habeat, quàm esse actum corporis, omnino inseparabilem esse ; quoniam actus, vt actus est, vult esse in corpore, nec sine illo esse potest. At si quæ anima præter vim actus aliquam aliam habeat perfectionem, qua sine corpore esse possit ; ea nimirum separabitur. Atque hoc, est quod dixit, quasdam nihil prohibet separari, quòd nullius corporis sint actus ; hoc est non solum sint actus, sed etiam immateriales actus, intelligentes, & subsistentes.

*Altera Digestionis Pars. Quo modo anima sit actus corporis.*

*Anima  
an sit  
actus  
omnium  
partium  
corporis.*

*1. Sententia.*

**S**ed quoniam & corpus organicum multis partibus constat, & animam pluribus facultatibus ; tribus modis eam dicere possumus organici corporis esse actum. Aut ita, vt tota eius substantia in vna aliqua corporis parte resideat, ex qua diuersis facultatibus vtens totum corpus regat. Aut ita, vt in diuersis corporis partibus diuersæ item sint animæ partes. Aut demum ita, vt tota cum omnibus partibus & facultatibus sit in singulis corporis partibus.

Prima plurium veterum fuit sententia. Hippocratem enim legimus intellectum existimasse in sinistro cordis sinu residere ; Herophylum in ventriculo cerebri totam animam collocasse ; Democritum in toto capite ; Erasistratum circa cerebri membranam, quæ *meninx* dicitur ; Stratotem in intermedio superciliorum ; Parmenidem, & Epicurum in toto pectore ; Stoicos in corde aut cordis spiritu ; Empedoclem in sanguine ; Diogenem in arteriis ; alios in cordis collo aut pericardio ; alios in septo transuerso. Post hos autem omnes Magnus Albertus in tract. 1. c. 7. essentiam animæ in solo corde voluit residere, atque in cæteris corporis partibus quasdam illius duntaxat facultates esse. Non secus

**A** ac rex in vna aliqua residens ciuitate vi & potestate sua vniuersum administrat regnum. Idem nostris temporibus senserunt Simon Portius in libro de Humana mente c. 7. & Hieronymus Cardanus in libris de animorum immortalitate, & apud Scaligerum, exercit. 307. c. 29. Videtur autem colligi ex Aristotele iis in locis, in quibus vitæ ac sensus principatum tribuit cordi. Tum verò maximè in lib. de animalium motu c. 7. vbi in hanc sententiam loquitur. Existimandum autem constare animal quemadmodum ciuitatem bene legibus institutam. In ciuitate enim cum semel constitit ordo, nihil est opus separato principe, quem oportet adesse singulis, quæ sunt : sed cuius vnusquisque facit quæ sua sunt, vt ordinatum est : sitque hoc post hoc per consuetudinem. In animalibus autem hoc idem propter naturam fit, & quia natum est vnumquodque sic constitutorum facere suum opus. Quare non oportet in vnoquoque esse animam : sed in quodam principio corporis existente, alia quidem viuere, quia ordinata sunt ; facere autem opus proprium propter naturam.

**B** Alteram propositæ questionis partem complexi sunt Pythagoras & Plato. Pythagoras enim vitalem animæ partem circa cor posuit, rationalem & intelligentem circa caput. Testatur Plutarchus in lib. 4. de Philosophorum placitis c. 5. & auctor historiæ philosophicæ, quæ Galeno tribuitur. Plato autem intelligentem partem in capite, concupiscentem in iecore, irascentem in corde collocauit. Hanc fuisse Platonis sententiam, multis persequitur Galenus in lib. 5. & 6. de Hippocratis & Platonis decretis. Tres namque animæ partes esse diuersas, hocis argumento ostendit in 4. de rep. libro quòd pugnant inter se ; aliudque ratio, aliud iracundia libidoque suadeat. & lib. 9. tres hæc animæ partes cum tribus comparat ciuitatis partibus, consulari, militari, & quætuosæ : tribusque hominum generibus, philosopho, contentioso, & ataro.

**D** Porro Hippocratem quoque ante Platonem intelligentem partem in capite potissimum collocasse, illi omnes confirmant, qui eum propterea scribunt consueuisse velato aut pileato capite incedere, quòd principem illius animæ sedem probè munitam & contactam diceret esse oportere. Concupiscentem autem Plato vegetantem, & irascentem sentientem partem appellasse, manifestum est ex Timæo. Nam priorum inquit, quæ esculenta & poculenta, atque ea demum, quæ corporis naturæ necessaria sunt, concupiscit, esse velut præsepe corporis alimentati, inter præcordia & vmbilicum collocatam ; posteriorem in satellitis & apparitoris sede ac domicilio constitutam, vt cum ira vis imperio rationis aduersus iniustum quidpiam feruesceret, continuo quidquid in corpore sensitiuum est obediens rationi, eamque sineret dominari. Interdum etiam, quemadmodum in Phædro, duas illas partes, velut equos aurigæ, subiecit rationi in suprema parte sedenti ; & in 4. & 9. de re publica primam varix ac multorum capitum beluæ similem esse dixit ; alteram leoni ; postremam homini.

**E** Tertiã partem Aristoteles verè esse indicauit. Nam